

Q. D. T. O. M. F. F. Q. E. J.

DISSERTATIO MEDICA

DE

TVNICA INTESTINORVM
VILLOSA, PLVRIMORVM MOR-
BORVM FOCO ATQVE IMME-
DIATO CVRATIONIS
SVBJECTO,

CONSENSV GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
LIPSIENSIS

SVB PRÆSIDIO

D. CHRISTIANI MICHAELIS
ADOLPHI,

*DOMINI PATRONI ET PRÆCEPTORIS SVI OMNI
OBSERVANTIÆ CVLTV ÆTATEM COLENDI*

PVBLICÆ CENSVRÆ ERVDITORVM PROPOSITA,
RESPONDENTE

CHRISTIANO LAVRENTIO KRIEGEL,
Hirschb. Sil.

D. XVI. MAJI A. R. S. MDCCXXI,
H. L. Q. C.

Anat.

A.

230,2

LIPSIAE,

LITTERIS SCHEDIANIS.

Disj anat., 585^{dj}

M. J. 1906



EXERCITATIO MEDICA
DE
TVNICA INTESTINORVM
VILLOSA, PLVRIMORVM MORBORVM
FOCO, ILLORVMQVE IMMEDIATO
CVRATIONIS SVBJECTO.

PROOEMIUM.



Habet PLUTARCHUS, *in conviv. sapient.* Ægyptios quondam demortuos homines dissecto ventre Soli exposuisse, extis in profluentem abjectis, quibus a cadaveribus sejunctis atque longe remotis, ut valde impuris, pura ea jam atque exequiis idonea dignaque existimabant. Physiologis, Anatomicis & imprimis Medicis, qui aut valetudinis suæ rationem habent, aut quibus etiam curæ cordique esse debet ægrotantium salus, haud eadem mens atq; intentio est, aut certe esse non debet, minime cum intestina tanquam abjecta, ut ajunt, abjectis relinquenda sint, sed curatius lustrationi hæ adeo nobiles, adeo necessariæ, adeoque mirandæ nostri corporis partes veniant exponendæ, quoniam singulæ singulas expositiones postulant, quæ tam statum naturalem quam etiam præternaturalem commonstrant, & partem

mandantem, causas & generationem morborum explanant, a quibus ad salutem via gradusque est. Potius igitur imitentur Veterum Romanorum Haruspicum genus, quod mactatorum animalium exta diligentissime inspexit, atque est scrutatum, ut futura tam bona quam mala, coeca licet superstitione motum, prænosceret. Quod divinationis genus Extispicinam vocabant, de quo CICERO, a quo romana eloquentia extitit, est imprimis videndus *Lib. I. de divinat.* Per magnæ ideo laudi ducitur omnibus illis Præcellentibus ingenio Viris, qui in his, præclara mentis acie adjuti, egregiam, alacrem & curiosam operam collocarunt, atque investigationem, ipsam magis naturam, quam opinionem suam ducem secuti, susceperunt, ac res ipsas delitescentes intus atque abstrusas & multis alias dubitationibus impeditas magno artis salutaris incremento evolverunt. Inter quos Eustachius, Varolius, Sal. Albertus, Piccolhominus, Fallopius, Afellius, Bauhinus, Steno, Pequetus, Caspar & Thomas Bartholini, Spigelius, Malpighius, Hieronym. Fabritius, Willisus, Wepferus, Lowerus, Listerus, Scretus, Harderus, v. Horne, Kerkringius, Franz, Glissonius, J. C. Peyerus, Nuckius, Joh. Muraltus, Brunnerus, Sponius, Nehem. Grew, Charleton, Gvilielm. Cowper, Hartshoeker, ut & Læwenhookius, Ruyschius præter alios Anatomicos eminent. Et haud scio, an aliæ corporis partes magis sint ita censitæ ac disquisitæ, ac quidem cum ventriculo intestina, quod etiam tanto magis necessarium est, quanto certius est, esse hæc sedula consideratione multis de causis dignissima. Nec tantum facile alibi apparatus instrumentorum ad arduum, quod præsertim præstant negotium, Chylificationem, a qua vita sana & ægra, longa & brevis dependet, invenies,

&

& forſan plura adhuc admiranda & notabilia latent ibi, ſe-
 quioris ætatis felicitati reſervata. Nos jam Extiſpicium
 quoddam medicum ibimus celebratum, oculis animoque
 Tunicam Inteſtinorum Intimam, quam Villoſam vocant,
 ſubjecturi, ut mirabilis ejus, quam præ reliquis obtinet,
 ſtructure æque ac ſedes, quam adeo multis morbis concedit,
 atque ſimul etiam ſubjectum curationis immediatum pateat
 latius, eoque cenſemus id magis utiliter ſuſceptum, quo
 majoris utilitatis materiæ peccantis ſedis & foci in Theoria
 pariter ac praxi medica evolutio ac explanatio eſt, cum non
 modo facilius ſymptomata, quæ ſæpiſſime ad loca longe
 remota pertingunt, atque ibidem tyrannidem ſuam exer-
 cent, ſeu cauſæ effectus, exinde deducantur, ſed & aperia-
 tur locus, quem adgredi Medicus, fomitem ejicere cauſam-
 que tollere debet. Quare mirandum eſt atque dolendum,
 ejusmodi utiliſſimam longe tractationem minori, quam par
 eſt, ſolertia a Practicis in monumentis paſſim & literis fuiſſe
 ſuſceptam, cum in illis magna ſubinde morbi modo, cauſæ
 ejus & ſymptomatum, modo ſubjecti cauſæ vel morbi mor-
 tiſque inveniatur confuſio. Quod ſcrutinium ſummi in
 cœlis Numinis auſpiciis ingrediamur.

§. I.

CHyliſicationis officinam alimentorum canalis & via
 œſophagus, ventriculus & inteſtina, quæ in
 tenuia & craſſa commode dividuntur, conſtituunt;
 ſiquidem ea in ore inchoatur, in ventriculo continuatur, &
 in inteſtinis perficitur ac abſolvitur. Varia ibi inſtrumenta
 tam immediata quam mediata invenies. Præparata enim
 in ore maſticatione alimenta per deglutitionem ad ventricu-
 lum immittuntur, ubi actione & motu ejusdem, menſtrui

solventis acrisq; ambientis accessione, sanguinis affluentis calore, spirituum animalium influxu actuata moram necessentia in chylum vertuntur. Ex quo is egressus & ad intestina delatus ibi & imprimis in duodeno, proximo a ventriculo intestino ac primo, illique valde confimili ulteriorem limam commistione ibi maxime bilis & succi pancreatici & lymphæ copia, & ultimam in reliquis experitur.

§. II. Confecto sic chylo purissima pars lactiformis in intestinis, quæ cribrum esse dixeris, exprimitur atq; transcolatur, ubi ea secedens separatur ab inertibus fecibus foras excernendis, ut viam inveniat, per vias intermedias vasa nempe lactea & ductum thoracicum ad communem sanguinis oceanum perveniendi, ut sanguis atq; humores indefinenter restituantur, & omnes partes nutriantur. Ad quod ulterius investigandum, ut nobis viam quoque muniamus, has partes planius paulo, quoad rationis interest instituti, exponamus. Nimirum totus iste alimentorum canalus eadem substantia, eademque structura componitur, eodemque motu gaudet. Totidem omnibus ejus partibus sunt, quibus componuntur, tunicæ, quarum carneæ eadem fibrarum serie sunt conflata. Harum prima exterior & communis a peritonæo orta omnium tenuissima est atque membranacea, quam etiam alii non male nerveam nuncupant, & ex multis, exilissimis licet, fibrillis nerveis, vario modo & nexu inter se complicatis, constat. Huic intestinali tunicæ adheret cellulosa a Clariss. FRIED. RUYSCHIO inventa atque ita nominata, illi, quæ sub cute sita est, ac membrana adiposa vocatur, admodum similis. Vid. *Ejus Tbes. anat.* VI. p. 9. cujus cellulae in obesis subjectis ac sanis pinguedine ordinario sunt refertæ; in macilentis & morbidis autem, nisi flatu in-

in-

inflentur, vix in conspectum veniunt; in hydropicis, asciticis, leucophlegmaticis sero refertas has cellulas observavit laudatissimus Autor. Hanc excipit musculosa sive carnea, duplici fibrarum strato contexta, exteriores enim in longitudinem excurrentes, interiores in circulum quasi in transversum ductæ apparent, & arte evolvuntur, quarum fibrarum munus est, ut motum gulæ, ventriculi & intestinorum peragant. Tendinosa, a Fallopio sic nominata, alias nervea dicta, sequitur, (cum tendines musculosarum fibrarum in hanc faceffant,) imprimis appetitus exquisitum sensum suo loco juxta reliquas sensationum species præstans. Hæc longior prioribus est, atque per totum canalis ductum in varias plicas & rugas præminentiasque transversas potissimum ducitur.

§. III. Intima jam in manifestum prodit conspectum Tunica villosa, nostri præsentis instituti argumentum. Hæc variis nominibus Autoribus nota est: quippe modo a quibusdam velamen aut velamentum villosum, a Willisio crusta villosa nuncupatur, musci villosi a Bilsio, ab Hornio velamenti bombycini titulo insignitur, & spongiosum peristroma Pequetto, F. Ruyschio papillosa tunica audit. Quæ vocabula cum re ipsa ob singularem ejus texturam, mox explicandam, satis conveniunt. Ut varia ejus apud Autores appellatio est, ita de hac ejusque existentia & essentia non parum inter Anatomicos discrepantiæ, variis varia existimantibus: siquidem quidam, antiquorum placitis pertinaciter inhærentes, hanc Tunicam Villosam ex numero tunicarum excludunt, vixque nomine tunicæ dignam censent, atque adeo crustam saltem excrementitiam, a recrementis coctionis genitam, esse perhibent. Alii vero circa hanc ipsam & imprimis
circa

circa villorum naturam ac munus variant sententiis, & ut ego quidem reor, plurimi conjectura aberrant. Cœteris tunicis recensitis & proximæ, tanquam fundamento suo, est adstructa, & firmissime ipsi cohæret, ita ut facies posterior nervea, anterior villosa sit, minus tamen præfatis candida est, sed cinereum magis refert colorem. Adhuc quoque amplior est, & æque in rugas plicasque insignes contrahitur, quibus chyli partes apprehenduntur, atteruntur, attenuantur, atque ulterius promoventur, & illarum citatior justo exitus avertitur. Admirandam certe structuram obtinet, quippe tubulorum minimorum, fibrillarum, nervulorum, papillarum, villorum, arteriarum, venarum, glandularum mirus contextus est atque congeries, quibus interpositi sunt copiosissimi varie figurati & colorati obliqui & exigui pori, adeo, ut cum filtro laneo, lineo aut chartaceo Pharmacopœorum & cribro non incongrue comparari possit. Hinc & haud multum absimilis huic textura cuticulæ est, quæ pariter ex meris filamentis nerveis a papillarum tenuissimis ramificationibus productis, varioque nexu complicatis constat, quæque innumera foraminula habet, in quæ sudoris vascula excretoria hiant, atque ex qua componitur ipsa cutis, cujus corpus reticulare seu mucosum innumeris etiam foraminulis præditum est, & ubi papillæ pyramidales nerveæ per ordines parallelos ex hac erumpentes in cuticulam, in plures divisæ fibras protenduntur, atque verum tactus organum constituunt, quibus interpositæ sunt glandulæ miliares cum roriferis ductulis suis excretoriis. Talis etiam propemodum est, quæ in labiis, buccis & lingua conspicitur, in qua gustus organum est constitutum, atque duplicis generis papillis cuspidatis atque rotundis e nervorum

extre-

extremitatibus per lingvam dispersis, attingentibusque reticulare corpus multis foraminibus pertusum donata, exteriorique linguæ membranæ conjunctum. Nec multum abhorret ab ea placenta uterinæ tunica, ex qua per funiculum umbilicalem foetui succus nutritius susceptus, Clarissimo Ruyschio memorante, adducitur.

§. IV. Nimirum, ut explicatius de ea loquamur, non tantum fibris carneis vario modo contextis stratisq; gaudet, sed & densissimis & innumerabilibus vasorum sanguineorum adducentium abducentiumque ramulis usque ac usq; divisis prædita est, unde ubi intestina inflammatione obsessa fuerint, tumida & rubicundissima (a sanguinis scilicet stagnatione) apparet. Ex his inter villos insurgunt glandulæ, quas quidam quidem huic tunicæ, perperam tamen, denegant, quæ ut prominentes arteriosi apices succosi ac molles ex conglobatis conglomeratione denso agmine per jejunorum maxime intestinorum volumen consistunt, ac imprimis circa valvulas intestinorum tenuium majores lentium, & milii granorum ad instar; figuræ tamen diversæ conspectui sistuntur; siquidem quædam rotundæ, quædam oblongæ olivæ & amygdalis similes, quædam angulosæ & magis irregulares conspiciuntur. Nec omnes eundem referunt colorem, quædam enim albæ, quædam subrubræ, quædam subfuscæ apparent. In quibusdam manifesti poruli rotundi excretorii vel nudis oculis percipi possunt. Præter has hinc inde, tametsi rarior earum series est, ac præsertim in crassis intestinis sigillatim sparsimque sunt distributæ, majores illis adsunt, quas modo laudatus Ruyschius non solum solitarias, sed & spurias appellat, cum per se non subsistant, atque vasculis & involucro proprio sint destitutæ; quales præsertim

B

etiam

etiam sunt fragiformes Listeri. Singulae poris vasisque excretoriis aequae praeditae sunt, & ubi plures congregatae, interdum, quod circa valvulas intestinorum praesertim accidit, vasa sua excretoria invicem jungunt, & simul dein in communem ductum committunt atque concedunt serosum ac spirituosum sat largum ab arteriis & nervis suppeditatum liquorem, utilem, necessarium & aptum tam excipiendis, rigandis, solvendisque cibis ac chylo diluendo, liquefaciendo, discontinuando evolvendoque, ejus partibus inter se uniendis, acriorum humorum activitati infringenda, quam etiam scybalis tandem in crassis intestinis coagmen- tandis, atque ad debitam consistentiam conglomerandis, eorumque duritiei lenienda, intestinorum parietibus obli- niendis & laevigandis, alvoque lubricanda, ut non inepte I. C. PEYERUS in *Parerg. anat. med.* autumat. Haec limpi- diorem ac tenuiorem, illae vero viscidiorum magis & cras- siusculum succum observante Celeberr. BRUNNERO *Tract. de gland. intest.* p. 107. referunt, prout in toto corpore vide- mus, diversas glandulas diversum emittere liquorem. In aqua fervente adeo indurescit, ut friabilis quasi reddatur, & tunc glandulae melius apparent. Atque si ad candelae lu- men objectam teneas, exsiccatam riteque praeparatam fla- tuque distentam intestini portionem, distincte videas licet, conformationem pene omnem. Quod aequae succedit per macerationem in convenienti liquore. Has Amstelo- damensis quondam praelaudatus Ruyschius in cadavere ho- minis, obstructione alvi demortui, dissecto monstravit tantae magnitudinis, ut per extimam intestinorum tunicam trans- parerent, prout quidem ordinario eas majores ac tumidas turgidasque in omni propemodum intestinorum morbo diar- rhoea

rhoea

rhœa dysenteria &c. pridem observarunt Anatomici. Willius crustam villosam in superficie exteriori convexa, qua tunicæ nerveæ cohæret, glandulis & osculis vasorum copiosissimis refertam vidit. Eas quoque describunt GLISSONIUS *Tract. de ventric. & intestin. Cap. X.* GVILIELM. COLE *de secret. animal. cap. V.* JOH. CONRAD. PEYERUS *Exercit. anat. medic.* Conf. adhuc RUYSCHIUS *Epist. II.* Nec dubium est, quin HIPPOCRATI jam notæ fuerint, quod apparet ex *Lib. de Gland. §. III,* ubi dicit: *Glandula in intestinis majores sunt, quam alibi in corpore, & pasci humectationem nimiam ex intestinis exprimentes.* Glandulosa hæc conformatio ad humores superfluos recipiendos composita & apta, parum exquisito prædita est sensu, unde humorum colluviem sine notabili molestia sustinere & sat diu tolerare potest. Poros hujus Tunicæ minime directos sed obliquos eum in finem sine dubio fabricavit Summus & Sapientissimus Conditor noster ac Parens, Deus, ne facile a solidioribus particulis penetrarentur, sed ab illis tantum, quæ varie inflectentes tam impeditos meatus intrare iisque sese insinuare possunt. Nervi intestinis ab intercostali ramo, ut ventriculo ab octavo pari, veniunt.

§. V. Villi, a quibus nomen accepit Tunica, præfertim peculiarem considerationem merentur. Hi, ut vel nudis etiam oculis conspici possunt, breves, quasi recta insurgentes ac eminentes sunt fibræ aut papulæ, dense inter se junctæ, ad instar panni serici, qui holosericus appellatur. Ubi longiores eriguntur, arcteque sic conjunguntur, glandulosas fere apices, si armatis quidem oculis inspiciantur, referunt. Sangvine turgidi sunt, adeo, ut, si vel leviter cultelli vel acus cuspide eos læseris, sanguinem sat largiter stil-

lent, ut & Clariss. BRUNNERUS modo laudatus *l. alleg.* vascula exilissima, villos perreptantia, ad extremos apices vidit, ideoque villos glandulosos esse concedit, unde & sine dubio evenit, quod ex paulo fortiori pharmaco assumpto in fine tandem purgantium etiam sanguis simul excernatur; natura tamen atque officium illorum, ut in §. III. jam monitum est, non omnibus liquido constat. Equidem cum prælaudato Clarissimo Brunnero, qui in eruendis his villis diligentissimum & exquisitum alias se præstitit censorem, quem facio jure meritoque maximi, de cujus doctrina, industria, fide ac judicio existimo optime, sic sentire mallet, & parum aberat, quin crederem ego, villos hos scilicet esse vasa glandularum excretoria ac tubulos minutissimos variis modis sibi intertextos, cavos, microscopiorum beneficio videndos, tanquam congeriem atque contextum totidem chyli infundibulorum, per quæ reciperetur in vasa lactea, quæ & ideo chylo turgida in bene prius pasto animali deprehenderentur, atque ubi adessent villi, etiam adesse vasa lactea, & vice versa, ubi hæc non conspicerentur, ibi etiam non villos conspici, ut in ventriculo & intestinis crassis. At enim sic profiteri ac scribere vix possum, cum hæc adsequi mihi nondum licuerit, etiamsi multum ea mihi facessiverint negotii, sollicitumq; habuerint diu. Ut enim assequerem, in bovorum suillorumq; calentium adhuc intestinorum, atq; canum vivorum dissectorum portionibus investigationem haud simplicem institui, atque villos cavos esse microscopio etiam optimo adhibito, nullo modo deprehendere potui, ac licet ex digitorum instrumentorumque compressione chylum reddere videantur, dubium tamen adhuc manet, an non ex poris potius tunicæ intertextis is provenerit. Nec non

non

non etiam manifestum est, autopsia teste ac vindice, villos in reliquis alimentorum canalis partibus quoque, ut ventriculo & crassis intestinis, imo in gula inveniri, licet nullæ ibi adsint vasorum lacteorum radices. Ad hæc non una difficultas se objicit, atq; probabiliora argumenta aliter cum aliis sentiendi necessitatem mihi imponunt, & mutandi opinionem graves habeo autores. Difficile enim conceptu est, quomodo hæc contrariæ functiones recipiendi chylum, lymphamque emittendi simul stare sine unius alteriusve confusione in uno eodemque organo possint. Nec chyli receptio in exerta stamina, & quæ cedere ab invicem atque recedere possunt, adeo mihi est expedita ac quidem in demissos & imos patulos poros. Quare, rebene cogitata, me non erraturum a scopo certius mihi persuadeo, si profitear, villos nihil aliud esse, quam composita corpuscula ex papillis nervosis, & vasculis minutissimis sanguineis ad instar tomenti aut gossypii, atque simul glandulosis apicibus, subtilissimum liquorem in statu hominis integro stillantibus, in affecto autem & laborante v. gr. in hepatico fluxu, (in quo serum, ad instar loturæ carniū coloratum, excernitur:) diarrhœa, ac dysenteria maxime sanguinem simul quoque reddentibus. Siquidem etiam papulas nervosas, quas similes esse illis, quæ in cute, & lingua &c. adsunt, ex supra adductis præsuppono, dolorem quoque molestissimum atque adeo immanem in ejusmodi affectibus efficere reor. Itaque non est, cur dubitem, esse saltem poros in Tunica villosa villisque ipsis intertextos, chyli infundibula, atque verum organum per quod chylus transjicitur, & ad vasa lactea fertur, qui numerosissimi etiam in exsiccata & præparata intestinorum tenuium portione, quam Thesauri prius laudati Ruyschii fami-

geratissimi, ostendunt, conspiciuntur, adeo, ut interstitia acus cuspide vix tangere possis. Atque adeo, præmemoratus Autor observavit papillas has ex nervulis prodire, & esse ipsis ramulis nervosis, e quibus prodeunt, longe crassiores, æque ac arteriolæ viscerum, quæ ipsos ramulos e quibus exsurgunt, crassitie longe superant. Cœterum cum ex fibrillis quoque contexti sint carnosus villi, motu suo tonico eos gaudere apparet, certo usui in sequentibus nominando inservientes, ut Clarissimus BRVNNERVS in *Tract. de intest. gland.* scite docuit. Ideoque, ut reliquæ corporis partes, spirituum animalium influxu, sanguinisque spirituosus & vividi affluxu eos æque animari, vigere, atque per varium instinctum modo constringi, modo relaxari, argumentatio valet. Pro diversitate etiam subjectorum teneriores aut robustiores sunt, ac motum modo debiliorem modo fortiorem edunt; nam qui rarioris inprimis alias sunt texture, ventriculi & intestinorum villos habent teneriores & delicatos, quod *Clariss.* longe WEDELIUS in *dissertatione de Gialappa* confirmat.

§. VI. Tota tunica maxime tenuium intestinorum semper copioso muco crasso, glutinoso & pituitoso tenaciterq; satis inhaerente est obducta, qui inprimis a viscidis cibis, qui eum præter naturam augment, & excrementis chyli limosis majori ex parte, annuente Lindenio, ut & non nihil e saliva deglutita itemq; secundum SYLVIVM vid. *metb. med. Lib. II. cap. V. p. 97.* ex liquore pancreatico humoreq; affluente, & ex glandulis intestinorum stillante, & per moram forte ac inhaesionem ulteriorem crassiori viscidioriq; facto subnascitur. Ne autem hic mucus in immensum augeatur, sed subinde iterum abstergatur, atque Villosa Tunica sensibilis, ejusque pori cum tubulis
ctiam

etiam lacteis eorumque orificiis libera patentiaque reddantur, commode subveniunt, tum bilis particulis suis salinis & sulphureis, abstergendi vi præditis, tum lymphæ glandularum intestinalium & pancreaticus succus energeticus copiose ac perpetuo affluens, qui modo restagnatione sua mucosam occasionem rudimentum & incrementum præbuit, jam recens allatus tenuis & fluidus diluendo leniterque eum abstergendo, confert multum. Hinc etiam advertitur, quod ex usu salium volatilium oleosorum & carminativorum, sic dictorum, in specie vero thermarum, acidularum, aquarum salubrium, decoctorum & infusorum, herbarum, lignorum, corticum, radicum, florum & seminum, quæ pro diætâ in quantitate assumuntur, primis assumptionis diebus male se sentiant potantes, & de multis turbis, flatulentis, anxietatibus, ructibus, spasmodis, nausea conquerantur, imo non raro vomitibus afficiantur, indicio certo, primum resolvi mucum in halitus, & assunita in quantitate non liberum invenire transitum ac gravare intestina; quæ symptomata vero, si ulterius bibantur, evanescent, ac bene per urinam ac alvum iterum excernuntur. Hinc & primum aquosum, clarum, tenue serum, poris adhuc arctioribus obstructis atque obsessis existentibus, excernitur, successu vero temporis crassior coloratiorque redditur. Exinde etiam elucescit, quam proficua esse possint tam nominatæ thermæ aliæque minerales aquæ, quam illa infusa ac decocta calida herbarum Thèe, veron. & similia, Coffèe, juscula medicata sæpius ebibita & hausta, ut & tincturæ & essentia stomachicæ & abstergentes aromaticæ & amaræ absinth. cent. min. trifol. fibrin. &c. ut & polychrestorum ideo titulum jure mereantur. Atq; hinc simul bilis rite constitutæ & energeticæ
emo-

emolumentum, quod universo corpori præstat, colligitur Attamen & hic mucus, si non nimis est copiosus, crassus viscidus, lentus, & glutinosus, sed liquidus magis, suam quoque potest habere & habet sine dubio utilitatem, eamque non simplicem: nempe, ut impediat, ne crassiores aliæque inertes atque nocivæ partes transeant, sed ut chylus tantum subtilis quasi transcoletur, & ne flatus nimio nisu ipsos Tunicæ villosæ poros impetat ac stringat, ut acriorum humorum tutelâ quasi, a nervosa tunica adeo sensibili papillisque nerveis prominentibus avertat injurias, defendatque, ne a fecibus, successive magis induratis condensatisque, detrimenti aliquid tunicæ patiantur, atque ut intestinorum parietes eorumque fibræ complanentur, oblinantur, lubricentur, ne tenaciores rigidioresque reddantur, ac sanguinis ad has partes affluxui debito aliquali sint impedimento, simulque fecum alvinarum lubricitate ejus promoveatur faciliterque secessio & dolor ac molestia avertatur, atque pertinacissima alvi constipatio, feces indurata, multaque alia symptomata gravissima præcaveantur. Addo, quod in ventriculo, quando modice acescit, appetitum stimulet, atque ad fermentationem, quod vocant, ciborum & digestionem faciat. Hinc si in dysenteria aliisque diuturnis ventris fluxionibus in hypercatharsi vel phthisi & hectica corroditur & perit, ubi cum excrementis alvinis mucus cum ramentis membranaceis & glandulosis, sanguine intermixto, simul excernitur, ejus defectum multa eaque gravia symptomata, dolor intestinorum intolerabilis, citata alvi dejectio præter naturam, aut ægre expugnabilis ejus obstructio, pro materiæ indole tunicarumque constitutione, non raro subsequuntur.

§. VII.

§. VII. Ob hanc igitur conformationem porosam, spongiosamque texturam atque substantiam spongiæ vice fungitur, simul atque cribrum aut colatorium sive filtrum & incerniculum quasi utique constituit tunica nostra, per quod chylus ad secessionem jam dispositus, propulsus & expressus & iterata forte etiam vice sicuti per spongiam, sub diastole nimirum intestinorum, in suos dilatatos & patulos, oblique hiantes, insensiles tamen poros, infunditur & recipitur, qui ab illo dilatantur, laxioresque redduntur, ut tunica intumescat atque turgescat tota. Quo ipso transcolatur, & vi quadam nisique sub systole transjicitur a constrictione pororum atque contractione fibrarum, hisce intertextarum, quibus angustatis & a tergo pressis vicina spatia replet succus liquidus, discontinuatus, ventilatus, subactus bene, mediante maxime motu intestinorum, quem peristalticum appellare solemus, Tunicam Villosam intestinorum immediate tangente, molliterque premente, & porulos simul lacteorum vasorum, quæ omnia sub hac tunica egrediuntur, & per eam serpentino ductu repunt, successive constringente. Qua expressione, & infusione secretionemque sic facta utilis ab inutili, relinquuntur crassiores, inertes, atque obscenæ foras excernendæ partes. Cui actioni & musculorum abdominis quinque paria, ac diaphragmatis motus, nec non aeris flatuumque elater adauctus opitulatur. Peragitur itaq; hæc animalis functio fere simili modo quod vegetabilia succum suum nutritium per radices earumque tubulos ac poros e terra hauriunt.

§. VIII. Exinde insignia munera insignesque usus Tunicæ Intestinorum Villosæ, quæ ideo nequaquam vilis habenda est, per se jam satis apparent. Hoc organo rite constituto, chylus

C

de-

debitus & laudabilis omni tempore accedit, & sanguis, vitæ thesaurus & omnium partium corporis alimentum, augmentum ac conservatio, sanitas denique ipsa ac vita exinde sponte fluunt sua, atque etiam medicamenta, ad amissam valetudinem reparandam facientia, ad hoc convertuntur, & per hoc ad massam humorum apportantur, ut fons salutis & vitæ collocandus hic sit merito. Primario quippe in œsophago madore, quem ex glandulis reddit, deglutitionem adjuvat, ariditatem faucium, molestum sitis sensum corrigit atque demulcet, ferumque spirituosum menstruum stomachicum, ab arteriis nervisque suppeditatum, ciborum digestionem inserviens largo fœnore continuo fœneratur. Ita in intestinorum volumine perfecte elaborati chyli subactioris, qui in horum plexibus implicatur, receptioni, expressioni, secretioni, filtrationi aut colationi, ac in poros vasorum lacteorum impressioni & infusioni, ac lymphæ a sanguine secretioni & separationi, ut & bilis cysticæ crassæ, aliarumve nocivarum etiam partium inertium & fecum exclusioni inservit. Recte enim æstimantibus constat, omne liquidum, quod ex intestinis ad sanguinem transit, per vasa lactea ad ductum thoracicum, minime autem per venas mesaraicas ferri. Ratio enim decet, quomodo chylus venarum orificia possit intrare, ut non sanguis simul per ea exeat, quod experimento apparet ad oculum: Ligatis scilicet venis mesaraicis, duodenum atque jejunum intestina non albescunt, vel sanguinem monstrant chylo refertum. Nec etiam sanguis in venis, quæ intestinis adsunt jejuno nimirum atque duodeno, alium refert colorem, disparem illi, qui in colo & recto invenitur. Cœterum prominentes villi, fat fortes forte etiam, ut in œsophago, læsiones tunicæ nervæ sensibilis inter deglutendum metuendas avertunt, atque ventriculum ab injuriis defendunt, ipsam tunicam villosam porosque illius ab alvinarum fecum aliorumque injuriis tuentur, & præcavent,
ne

ne illabantur feces ; chylum vero mox recipiendum arripiunt quasi , colligunt, detinentque, atque ad promovendum eum, & ad depellendas feces auxiliatrices manus porrigunt, atque forte alios adhuc usus, nobis nondum perspectos, præstant.

§. IX. Ut igitur his officiis adeo eximiis & maxime necessariis rite præesse & fungi debeat & possit, legitime se habeat, beneque constituta sit, necesse est: secus lernam, fontem imo mare malorum constituit, quæ vitia etiam ejusmodi generis sunt, quæ dein non facile corriguntur, secundum illud tritum, quod & hic valet: Vitia primæ coctionis non corriguntur in secunda & tertia. Et licet omnes aliæ nobilissimæ corporis partes bene valeant, influente tamen vitioso chylo vitiatur tota humorum massa, atque hoc vitium undique sese diffundit. Nimirum oportet tono justo gaudeat ea i. e. fibræ quæque ad debitam suam functionem sint aptæ, ac rite se moveant, non nimis remissæ & debiles neque rigidæ & difficiles ad motum edendum. Pori illius imprimis ad chyli & lymphæ expeditum transitum concedendum esse debent apti, non nimis ampliati, neque nimis angustati, aut spasmo constricti, aut ab humore acri vellicati atque convulsi, neque pituita aut humore crasso & viscido obsessi, & liquorum aditum impediens, sed liberi atque patentes. Si enim tonus est debilis ac relaxatus & pori nimis sunt ampli, quod ex variis causis potest accidere, ut, a spirituum animalium influxu præpedito, nimia intestinorum humiditate, chyli copiosioris affluxu, a crapula, a flatuum impetu extendente: affluentia præter modum premunt, tendunt atque extendunt, quia vigor, qui debet resistere, deficit, & justo major humorum copia eaque crassior & iners admittitur. Si vero tonus eorum nimis est constrictus, pori angustati, vel acido quodam constrictorio corrugati, & glutinoso inhærente viscido obsessi atque obstructi, debitum liquidum

C 2

aut

aut penitus non, aut parcius ac in debita quantitate non admittunt atque transmittunt, sed præter naturam retinetur solidior & alimentosa chyli pars, & saltem tenuis iusto & aquosa trajicitur. Æque metuenda vitia sunt, ubi humore quodam acri, caustico, maligno, rodente, vellente & convellente præter naturam irritantur ac pessime afficiuntur, & ad secretionem atq; excretionem humorum intempestive sollicitatur tota Tunica Villosa. Inde me non monente, diversæ malorum classes constitui possunt, in sequentibus mox fusius distinctiusque explanandæ.

§. X. Quemadmodum morbi eorumque causæ omnium facillime in cavitatibus, in tubulis ac vasis resident, ac aptum ibi hospitium inveniunt, quoniam collectioni stagnationiq; humorum sua natura favent apprime, ut in tubulis & vasis sangviferis, sive adducentia, sive abducentia sint, & lymphaticis meatibus secretoriis & excretoriis, utero, vesica, musculorum interstitiis, toto die videmus: ita intestina, maximus & amplissimus in corpore canalis, corporis morbis & maxime chronicis præ reliquis valde sunt opportuna, quæ deinceps ad alias partes materiam morbificam transmittunt. His deficientibus in officio suo & incongrue se habentibus, male se habet non raro totum prope modum corpus, confluunt succi vitiosi, motus irregulares exoriuntur, & nidi ac officinæ struuntur morborum, ex assumtis incongruis sæpius, & sæpissime superfluis ibi congestis, a confluxu ac confusione variorum humorum viscidorum, mucidorum, terrestrium, acrium, salforum, alcalinorum, acidorum, sulphureorum, fermentescibilium, corruptibilium facile, & ex diutina in illorum plicis, valvulis, anfractibus & flexuris inhæsiōne, eorumque successu

tem-

temporis corruptione, ex aëris item infalubris accessione atque tardiore in his partibus sanguinis motu. Quippe ex Anatomia notum est, sanguinis circulum in vena portæ, ex qua intestinales venæ sanguinem transfundunt, esse lentiolem, quia pulsu atque impulsu fortiori in comparatione aliorum vasorum sangviferorum est destituta. In intestinis vero imprimis Tunica Villosa vitiosa est accusanda: quoniam, ut modo dictum, hæc præcipuum instrumentum & cribrum est, & id quidem impeditum atque angustum, per quod humor alimentarius adeo necessarius omnisque lymphaticus ex his ad massam sanguineam fertur. Quod si igitur ea debita requisita in præcedentibus indicata non habeat, labeque quadam laboret, vel unica, dantur quoque in corpore plures, seu effectus & phænomena quamplurima, sive multorum gravissimorum, maxime chronicorum morborum, sedes paratur, in qua semina ponuntur morbifica, ex quibus dein, ut ex malis ovis mali corvi, varia pericula variique casus certius tandem data occasione exoriuntur, & inde facile explicari queunt. Nam compertum est, non simul & semel fieri multorum morborum genesis, sed sensim paulatimque prognerari, & cum tempore ex fonte domicilioque insurgere atque capere incrementa. Quare ejusmodi scrutinium eo utilius, quo magis necessarium est, nosse non solum morbos, sed & eorum nidum, focum & fontem, in quibus eorum causæ, tanquam in officina, formantur, fabricantur, componuntur, retinentur atque figuntur, ut eorum origo adimatur penitus, curatioque ex fundamento adornetur. Per Tunicam Villosam porosque uti nutrimur & vivimus, ita & per eosdem agrotamus & morimur. Nam si primo tonus ac vigor debilis & ni-

mis est relaxatus, fibræ una cum muscolosa tunica simili modo debilitata languent, & motus atque promotio promovendorum impeditur, & juxta alia incommoda insequentia, speciatim alvus durior & stipatior redditur &c. Hinc experiuntur sæpius Medentes, martialia aliaque roborantia & subadstringentia alvum proritare, quod sæpissime in febribus intermittentibus accidit, ubi ex cortice peruviano, vitriolicis, aluminosis, salinis, terrestribus, præcipitantibus & similibus, atque aliis adstringentibus datis assumtisque alvus fluida fit, quæ antea pertinacissima erat, imo diarrhœæ non raro profluunt. Poris autem amplioribus factis, ut ea simul per eos transeant, quæ non debebant transire, sed una cum excernendis excerni, partes nimirum, chylo conjunctæ, crassiores, terrestres, tartareæ, biliosæ, feculentæ, corruptæ, impuræ, atque etiam laudabiles alias, chylosæ, sed nimia quantitate exuberantes, quæ in vasis lacteis statim, ad quæ abeunt, & per quæ debent ulterius ferri, obstructions pariunt, eaque diutius iis inhærentes mole sua gravant, præterque modum extendunt ac debilitant, sive tonum vasorum horum destruunt pessime, maxime cum lymphæ per lymphatica ac vasa lactea ut & sanguifera, per venas mesenterii motus ordinario magis est impeditus, quia ibi deest sat fortiter impellens. Inde & tumores hydatides, lymphæ extravasationes, abscessus, obstructions, indurationes, scirrhi ibi quam frequentissime inveniuntur, & occasio ad cachexiam, multiplicesque lentos & intricatos morbos subministratur uberrima. Eademque ex longiori mora, quod humoribus stagnantibus ordinario accidit, indies corrumpuntur. Atque adeo si tandem præter modum turgeant, vasa lactea rumpunt & ad mesenterii membranas & abdominis cavitatem deponuntur,

nuntur,

nuntur, ex quo ascites jam paritur: si vero per ea promoveantur ad cor vasaq; sangvifera ejusmodi partes incongruæ, tota humorum massa præter modum repletur & coinquinatur, ut ab indole genuina & debita deficiat, aliena fiat & corrumpatur, cruda, crassa & pituosa reddatur, atque plethora & cachexia oriantur; adeo ut mirum sit, quantam ejusmodi corruptam materiam errhina, apophlegmatismi & salivantia educant. Ex quo vitio, massæ sanguinæ advecto, non possunt non multa subinde propullulare mala, quia labe cum chylo immissa, humoribus commixta, eos quoque, contagio velut similem in modum inficit, & cum his in universum per circulationem dimanat corpus. Qualis enim chylus, talis sanguis, & qualis sanguis, tales humores & spiritus animales, qui ex eo secernuntur, & quales hi, talis nutritio, talisque vita & sanitas est.

§. XI. Si itaque chylus & lymphæ & coinquinati humores impuri, crassi, terrestres, tartarei, pituitosi, lenti atque tenaces & constipantes ad sanguinem veniunt, facile caput dolet, quod præ aliis corporis partibus doloribus patet, & ad quod etiam ex inferioribus partibus facile aliquid adspirat, ut moleste exinde afficiatur, quia hæ partes morbificæ, graves & crassæ incrassant massam sanguineam, & in capitis vasis congestæ, violenterque & vasa ipsa subtilia & membranas proxime consitas, sensibiles maxime, distendunt, ex qua distensione caput proprio affectu labefactatur, ipsumque universum aut certe maxima ejus pars dolore quidem magis obtuso ac gravativo dolet. Hinc & ii homines, qui vasa habent plurima atque exilia, doloribus capitis præ aliis sunt opportuni. Si humor simul acris fuerit & salsus, salino sulphureus, scorbuticus, biliosus co-

dela-

delatus, ut in intestinis, molestiæ imo cruciatus, colica, diarrhoeæ, tenesmus &c. exinde oriuntur, ita ulteriori progressu hic etiam passionis summe dolorificæ, acutæ, vellicantis & terebrantis vixq; ferendæ fit sensus. Ac quoniam is continuo excruciat, continuasque vigilias parit, via ad phrenitidem in saniamque lata panditur, quæ accedentibus æruginosis vomitibus & surditate imprimis certissime aut indicatur aut jungitur. Jam etiam inflammationes oculorum, & si magna simul nervorum distensio eas comitatur, cœcitas difficile aut nunquam solubilis, possunt evenire. Imo in eo non solum vertiginis & incubi, sed & spasmi rigorisve nervorum & attoniti morbi, paralysis & epilepsiæ & lethargi, cari, comatis, catalepsis, apoplexiæ, sensuum abolitionum, memoriæ abolitæ, melancholiæ, guttæ serenæ, surditatis &c. periculum vertitur.

§. XII. Quodsi ejusmodi materia incongrua per circulationem ad alias partes sic deferatur & hæreat, in iis itidem varii generis morbi pro materiæ indole varia, variaque quantitate & qualitate ejus, consequuntur. Tum in isthmo faucium, collo atque thorace tumores glandularum, tonsillarum, strumæ, & scrophulæ, deglutitionis molestia, catarrhi pulmonum infarctus, asthma & quandoque catarrhus suffocativus & inflammationes, anginæ, pleuritis, corruptiones, tabes, phthisis, dura tubercula & vomicæ, peripneumonia, tusses, anhelatio, difficilis respiratio invadunt, & in cordis motus sufflammationem, aut etiam ex irritatione præternaturali, vel ex polyposa jam concretione, lipothymiam syncopem & palpitationem cordis, anxietates præcordiorum rapiuntur; In reliquis visceribus & vasis, liene, hepate, obstructions, indurationes & scirri, icterus, hydropes, leucophlegmatix

tix

tia ac cachexia & scorbutus, abscessus & exulcerationes facile oriuntur. Atque tandem etiam hæc vitia a visciditate, lentore ac acrimonia sic contracta in ventriculum & intestina ipsa iterum redeunt, & ibi singultum, cardialgiam, inflammationem ventriculi & intestinorum, tormina, nauseam, vomitum, choleram, fluxiones alias ventris, obstructions vasorum & glandularum pertinaces, tumores & indurationes, secretionumq; impedimenta, corruptiones &c. efficiunt. Alibi quoque hæmorrhoidum & mensium in foeminis depravatum negotium, fluorem album, gonorrhœam, malum corporis habitum, hydropes, tumores œdematosos, calculosas in cavitatibus concretiones speciatim in renibus, urinam reddendi difficultatem atque ejusmodi alia procreant.

§. XIII. Similiter artus afficiuntur, in quibus vagus fixusque morbus articularis, rheumatismus, malum ischiaticum exfurgunt. Nec non cutis vitia foeda, pustulæ, scabies, impetigo, psora, vitiligo, albus, melas, ipsa lepra græcorum atque exanthemata ejusmodi alia exinde proficiuntur, & morbus auriginosus habitum occupat, alienoque tingit colore. Imo cum materia nutritia incongrua viscida & acris per hanc viam partibus omnibus accedat, nutritio totius corporis depravatur. Atq; ex acrimonia sui juris facta ac pro ejusdem benignitate ac malignitate majori aut minori, sensiles partes continentibus plus minusve irritantur, ut contenta sive fluida, humores nempe & spiritus præter naturam per eas ferantur, exagitantur, tumultuantur, turgescant, majori in copia inordinate affluant, impingantur, & tandem qua data porta effluant, totaque humorum crasis temperata pervertatur. Insuper languores, febres varii generis, intermittentes atque

D

er-

errantes, quæ frequentissimæ sunt, & generi hominum inimicissimæ, biliosæ, continuæ, duplicatæ & triplicatæ, imo malignæ, purpuræ, morbus hungaricus & febris castrensis, petechialis, itemq; pestilenciales inde ortum trahunt, quæ ut plurimum errores, in cibo & potu commissos, & incongrue assumta in annonæ caritate a pauperibus insequuntur, quemadmodum jam olim apud Græcos natum proverbium est: *μῆλα λιμῆ ὁ λοιμὸς*, post famem pestis: in quibus, ut tam phænomena & accidentia præcedentia, & non raro morbum per totum ejus decursum comitantia, nausea v. gr. & maximæ præcordiorum anxietates & inquietudines, vomitus, alvi fluxus &c. quam sectiones demortuorum declarant: ventriculus & intestina tenuia ut plurimum afficiuntur. Sic in peste extinctis maculas & eschareas nigras in his partibus undique obfitas HELMONTIUS *vid. Tumul. pest. p. 182.* & DIEMERBROCK *de peste*, AMBROS. PARÆUS *lib. de peste*, LAUR. GIESELERUS *obs. de peste XVIII.* J. FERNELIUS *Lib. de febribus cap. XVIII.* GALL. ETSCHENREUTERUS *in Epist. ad Gesnerum*, TH. CORNELIUS CONSENTINUS aliique invenerunt. Hinc & vomitus mature injunctus hæc mala & præcavet & curat. Siquidem etiam in præterita modo Massiliensi peste, ut relationes a Clarissimo DN. D. KANOLD Uratislav. collectæ referunt, p. 12. & 17. Omnes fere mortui sunt, quos vomitus non purgavit. In horum numero numerantur omnes illi morbi, quos obstructions pororum, stagnationes & proritaciones causantur, a quibus horum absolvitur generatio, atque latentes sæpe morbi atq; obscuri ibi forte nidulantur. His admissis in promptu est error ac vitium, quod inducitur, si non bene repurgatis ventriculo & intestinis, sudorifera calida pellentia, volatiliora exhibeantur, quibus efficitur, ut materia peccans ibi residens attenuetur, imo exaltetur, & per poros crustæ villosæ ad massam sanguineam usque, vi propellatur,

§. XIV.

§. XIV. Ulterius ad alterum vitium progressio fiat, ubi tota tunica, a copiosa materia incongrua, corrupta, crassa, pituitosa, & mucō lento atque tenaci aut ab acido quodam, austero atque acerbo constringente, quod hypochondriacos consummatos frequentissime occupat, & ægerrime imprimis has spongiosas partes afficit, aut a calculosis concrecionibus aut a cicatricibus inductis atque induratione & scirrho, ut de singulis passim occurrunt observationes, præter naturam est obsessa, incrustata, ejusque pori repleti, obstipati, angustati, coarctati, contracti, coaliti. Quo ipso vasa etiam lactea, quæ exinde egrediuntur, non raro simul eodem malo afficiuntur, adeo ut aut tenuis tantum & aquosa portio & paucum aut nihil prorsus admittatur, & lymphæ itus & reditus, atque chyli impediatur per poros distributio, quod senibus & iis, qui digestionis debilitate, & frigido, ut ajunt, ventriculo laborant, admodum familiare est. Ex quo non modo humorum nimix congestiones ac stagnationes in intestinorum canali, in corruptiones mox abeuntes, sed & anorexia, artuum lassitudo totius corporis emaciatio, viriumque successiva & tandem totalis prostratio, animi deliquia, febres intermittentes, flatulentia molestissima hypochondriorum & anxietates, (cum flatus per poros intestinorum non possint transire,) alvi retentio atque segnities cum ipso malo hypochondriaco, quod totum flatibus debetur, hydropes, cœliaca passio, & elaborati, chyli excretio, atrophia, marasmus, febris lenta & hæctica lentaque mors propullulant, atque sequuntur. His de causis observationes quasdam collegi in fœmina quadam Lipsiensi, quæ per quatuor annos anorexia laboravit, indiesque macie est confecta, & tandem fere consumpta, præterea semper de motibus in abdomine molestissimis oculisque patientibus est conquesta, ac si animalia viva per intestina errarent, quæ, cum per quatuor propemodum menses convenientibus remediis, interpolatis laxantibus, &

alterantibus, esset curata tandem ex laxantibus pilulis densissimam pituitosam, concretam materiam copiosam placentarum ad instar, cui multi vermes ac lumbrici inhæserunt, rejecit, ex quo indies continuatis tandem remediis melius se habuit, appetitu ordinario ac nutritione redeunte, quiescentibusque abdominis motibus. De calculosa obstipatione pariter observationem notabilem Parisiis quondam habui in vetula, macie lentoque morbo confecta atque demortua, in cujus cadavere crusta intestinorum villosa a jejunio per totum intestinorum tractum ad rectum usque materia sabulosa ex luteo alba ac friabili erat obsessa, atque pori villique ea dilatata eademque iis impacta cernebantur. Ibi quoque in alius vetulæ demortuæ & macie confectæ cadavere raro spectaculo vidi glandulas intestinorum in primis tenuium in hac tunica insigniter tumefactas, adeo, ut villos porosque magna ex parte comprimerent, quo chyli aditus sufficiens prohibitus fuit SYLVIUS Vid. ejus *Prax. Med. Lib. I. c. 16.* sæpius observavit ex dysenteria oclusos poros ad vasa lactea tendentes. De intestinorum tunicarum coalitione post ulcera Observationes ARGENTER. *Lib. II. cap. 10. de Caus. morb.* BENIVENIUS *de abd. morb. Caus. c. 30. & 37.* & SCHENKIUS *Lib. II.* collegerunt. Quæ coalitiones & indurationes, ut & maxime cicatrices, calli & scirrhi inducti nullum auxilium facile admittunt. Qua de re conqueritur modo nominatus SYLVIUS *l. c.* quod nullanota essent medicamenta quæ cicatrices in tenuibus intestinis solvere, crustamque villosam novam, & talem quidem quæ transitum concedat chylo ad lacteas venas propellendo reparare possint. Exinde apparet, quantum peccent improvidi & nimis confisi Medici, quando, v. g. in febribus intermittentibus promiscue

miscue

miscue & statim in principio, sine præmissis evacuantibus, & pituitosum gluten, quo obsessa est Tunica intestinorum villosa, abstergentibus, incidentibus, & aperientibus, adstringentia, aluminosa, vitriolica, terrea, & famosum illud febri-fugum corticem peruvianum magna in quantitate ingerunt, quibus obstructions pororum magis augent, & vel statim diarrhoeas & anxietates efficiunt, torminumque mineram & causam febrium lentarum & atrophie subministrant. Similem labem inferunt ii, qui, post habitis his, in variis morbis imprudenter juxta adstringentia dicta, opiata, & refrigerantia nimia præscribunt.

§. XV. Sequantur tandem reliqua vitia, ubi Tunicam nostram humor maxime corruptus, malignus, salinus & salino-sulphureus, biliosus, acris, causticus, venenatus, acidus, excessivus aggreditur, qui in primis teneras tunicarum fibras carneas æque ac nerveas & membranaceas ipsosque villos ægre afficit, & non modo eam obstipat, coarctat, sed & vellicat, corrugat, spasmus inducit, convellit, & non raro corrodit, & vellicatione sua perturbatis concitatisque immanem in modum spiritibus animalibus, simul alias partes in consensum trahit, quibus, per nervos præertim, magnum intercedit commercium. Nec alia pars corporis, humani facile tam gravibus spasmodicis motibus & omnis generis doloribus fixis vagisque urentibus, perturbantibus, rodentibus, mordicantibusque, lancinantibus, pungentibus, distendentibus, expandentibus, gravativis, prementibus, pulsantibus, contorquentibus, contendentibus afficitur, quam intestina, ob membranaceum atque nervosum, quo hic gaudet canalis, contextum & multiplicem causarum concursum. Acriora assumpta caustica, venena, vomitoria, purgantia, drastica, ver-

mes, cruditates nidorosa & acidæ summe corruptæ hic accusanda veniunt. His speciatim sine dubio adscribendum esse puto, quod in quibusdam acidorum vinorum nimia ingurgitationi deditis observavi, eosdem dejectionibus alvi cum torminibus & flatulentis, abdominis, vix compescendis, correptos fuisse, corrosis forte intestinorum tunicis. Proin non modo in intestinis cardialgia, anxietates præcordiorum, colicæ convulsivæ, passiones celiacæ, imo & iliacæ, vomitus, cholera, ipse morbus niger Hippocratis, dysenteria, inflammationes & sphacelosa corruptiones, & ejusmodi deleteriæ causæ producuntur, sed & irritant dein irritata, ac afficiunt longe remotas partes, vasa sanguifera spasmodice afficiendo, nervos vellicando, incolasque illorum spiritus animales in ataxiam concitando, quo ipso humores modo ad has modo ad illas partes pelluntur, eaq; ex. gr. infarciuntur, caput, pectus, renes, vesica urinaria, hepar &c. atque ita sæpissime epilepsia, passiones hystericæ, hypochondriacæ, paralysis, paresis, apoplexia, atque similes capitis affectus ex primis viis suboriuntur, spasmodice nimirum affectis fibrillis nerveis ac membranaceis aut ruptis tenerrimis cerebri vasculis. Hinc horripilationes, nausea & ad vomitum inclinatio, faciei intumescencia & rubor ac stupor apoplexiæ imprimis junguntur. Quare apprime HENRICUS AB HEER *Obs. XVIII.* scripsit: *Plurimi nostratum incurrunt apoplexiam ingluvie & commensationibus.* Hinc vomitoria, opportune exhibita, quæ tunc ingentem humorum corruptorum, biliosorum, nigricantium saburræ exonerant, felicissime apoplexiam paralysis aliaque ejusmodi mala præcavent, avertunt, ac curant. Conf. HELMONT. *Lib. de morb. sed.* Clarissimus WEDELIUS *Patbol. dogmat.* p. 135. ANGELUS SALA, JOH. LAN-

LANGIUS, ut plures alios taceam. In hanc rem & RHASIS notabilis observatio est, multos paralyticos per supervenientem diarrhoeam curatos fuisse. Quid frequentius est, quam quod caput ex vitio primarum viarum male se habeat ac doleat, vigiliae &c. exerceant, & aurium tinnitus, scotomia, visus laesiones, aponia, constrictiones faucium, strangulationes, foeminis imprimis familiares, proveniant. Nec desunt de primarum viarum cum thorace consensione testimonia eaque quam plurima. Cui tussis stomachalis ferina sicca ignota esse potest? Sic WILLISIUS *de morb. convuls.* c. XII. p. 140. affirmat, in asthmate convulsivo periodico, tussique convulsiva pulmones sanos ac integros esse, mineram vero malorum in intestinis saepius reperiri. Atque TULPIUS *Lib. IV. cap. XLVII.* testatur. Febrem syncopalem a bile corrupta exortam fuisse. Unde & in ejusmodi affectuum curatione vomitoria ac laxantia, praecipitantia, nitrata, acrimoniam temperantia RIVERIUS in *obs. ac praxi*, BALLONIUS vid. *Lib. I. epid.* p. 62. ne plures nominemus, experitissima remedia afferunt. De infimo ventre res pariter notissima est, de quo hypochondriacum hystericumque malum saltem adducere hic erit satis.

§. XVI. Similem in modum de reliquis sentiendum est, ac fere de omnibus in universo corpore partibus totoque nervoso genere. Hinc v. g. experimur frequentissime, violentas animi pariter ac corporis passiones alvi fluxiones concitate. Doloribus vexatis intestinis, febres, dolores variarum partium longe remotarum, inquietudines, cutis universae pororum constipatio & corrugatio, horripilatio &c. prodeunt, quae tunc sympathice patiuntur, quoniam illis cum intestinis per nervos maxime intercostales magna intercedit,

dit, necessitudo ac mutua dependentia, consensus atque commercium: & vice versa, illis læsis, læsio in hæc quoque redundat, sic, læso cerebro a vulnere ac plaga graviore & vellicato a calculi per uretheres transitu, biliosi vomitus accidunt & alvi dejectiones, manifesto indicio, vasa choledocha & intestina spasmò affici. Hinc in ejusmodi morbis spasmodicis urina aut parce fluit, sæpius supprimitur, aut pallida, aquea tenuisq; redditur: indicio rursus, ob constrictas angustasq; vias aut insufficientem aut subtilem saltem materiam transmitti. Speciatim adhuc indicare convenit, a vellicatione inductos spasmos, intestina constringentes, hæmorrhagiarum in variis partibus constituere causas. Quippe vasis sanguiferis, ventriculum & intestina perreptantibus, sic constrictis angustatisque, sanguis non potest libere circulari: sed ex his ad alias vicinarum partium venas pellitur, quas præter modum extendit ac urget, ut ad proxima loca cum impetu ruat, usque dum pressis ruptisque vasis apertisque illorum osculis alicubi effluat, adeo, ut nullus dubitem affirmare, nullam facile hæmorrhagiam sine internis vasorum obstructionibus esse. Quod autem ut plurimum hæmorrhagiarum, quæ sine externa læsione contingunt, in intestinis & visceribus infimi ventris lateat causa, exinde fit palam, quia omnem fere five narium hæmorrhagiam, five hæmoptysin aut sputum, vomitumque cruentum, morbum nigrum Hippocratis, aut mensium hæmorrhoidumq; fluxum, inflatio abdominis, spasmodici motus, dolores pressorii, tormina ventris, extremorum in frigidatio ac horripilatio cum pulsu arteriarum magno, ac vehementi partis, ex qua effluit sanguis, intumescencia, rubore & dolore gravativo &c. præcedunt & comitantur. Hinc etiam frequentissime hypochondriaci & hystericae feminae

minæ

minæ, quibus ordinario spasmis ac obstructionibus in intestinis ac visceribus sunt, hæmorrhagias experiuntur.

§. XVII. Sæpe etiam non solum ab assumtis causticis, atque venenis, sed & in morbis quibusdam, ut in dysenteria & phthisi, ceu observationes Autorum ferunt, ab acrimonia proclive abrasionis, exesionis, denudationis & erosionis periculum est, quo contracto, tunicæ hujus defectum gravibus dirisque symptomatibus & exitio miseriluunt, & ut plurimum gangræna & sphacelo vitæ cruciatibusque finem imponunt. Sic totam interiorem intestinorum tunicam excretam esse TULPIUS *obs. Lib. III.* cap. 17. refert. Æque villos totos cum glandulis abrasos per totum pene intestinorum tractum in cadavere hominis, dysenteria demortui, in Amstelodamensi Nosocomio me vidisse quondam memini. Fuit quoque, cum ejusmodi vitium Tiguri, quæ primaria Helvetiæ urbs est, sub manu-ductione Clarissimi ac Experientissimi Dn. D. JOH. MURALTI notavi, prout ex sequenti historia constat. Vir XXXVI. circiter annorum melancholico-cholericici temperamenti, strictioris macilenti corporis habitus, ad iram proclivis, & præter modum aliquando ab ea motus per trium septimanarum fere spatium ægrum se sensit, subinde tamen lectum deseruit, & de appetitu imminuto, nausea, colicis passionibus, modo dejectionibus alvinis serosis, modo alvi adstrictione, per aliquot dies perseverante, inflationibus ventris constrictoriis, anxietatibus, inquietudinibus, & doloribus colicis conquestus est. Pulsus erat durus, & urina pallida ac tenuis. Vinum, succum citricum, saccharo, quo alias delectabatur, edulcoratum, cerevisiam, spirituosam, & pulveres terreo-salinos laxantia, & fri-

E

fri-

frigidiusculum ferenum aerem plane non ferebat, ad auctis exinde dictis symptomatibus. Circa tertiæ septimanæ finem corporis extrema calido influo destituebantur, & exactis aliquot diebus, macie confectus, spasmis immanibus subortis, mortuus est. Facta apertione tunicæ duodeni atque jejuni intestinorum arrosæ, Villosa præcipue erosa & inflammata conspiciebantur. Memini etiam adhuc, me ex B. D. ORTLOBIO audivisse observationem de viro quodam primario, qui, præservationis (tempore pestis Lipsiensis) gratia, acida, succum inprimis citri, quotidie majori in copia assumsit, & a peste quidem immunis mansit, attamen colica convulsiva demortuus, cujus ventriculi & duodeni atque jejuni intestini Tunicæ, inprimis Villosa, tota fuit erosa, adeo, ut in ventriculo tria foramina conspicerentur, per quæ cibus & potus in cavum abdominis sunt prolapsi. Hinc etiam patet, ut experientia docet, cur dysenteriam graviolem ut plurimum coliacæ passio & marasmus sequi soleat. WILLISIUS in *pharmac. rat. s. II. cap. I.* Villosam crustam in gulosis & bibonibus esse ex parte detritam, testatur. Exinde colligitur, quanta totius animalis œconomix pernicies haud simplici modo ex vitiata hac tunica oriatur.

§. XVIII. Satis de his nobis verba fecisse videmur. Alterum, quod habemus institutum jamjam persequamur. Scilicet, quemadmodum Tunica Intestinorum Villosa multis morbis dat sedem, partem mandantem, occasionem ac causam; ita & in morborum, longe etiam distantium, curatione immediatum concedit subiectum. Quoniam omnia medicamenta in corpus assumta, quæ facile possunt per subtilissimos poros Tunicæ Villosæ, vasorum lacteorum, transire, ut tincturæ, essentia, spiritus, oleosa subtilia, salia liquefacta, per hanc chyli viam ad massam sanguineam transeunt. Quantumvis etiam enu-
meres

meres plura eorum, quæ, in corpus assumta, operationem instituunt, non saltem evacuantia, vomitoria, purgantia, laxantia, sed & alterantia, fixa adstringentia, terrea, terreo-salina, & omnia quæ sub præcipitantium titulo veniunt, & quæ sub forma pulverum præsertim præscribuntur, qualia in schedulis Medicorum utramq; faciunt paginam, quæque certe universaliora sunt alterantia atque in pluribus affectibus egregium officium collocant, adeo, ut polychrestorum remediorum titulum jure mereantur, quorum plurimum paucissimæ tantum partes, aut etiam sæpe prorsus nullæ, ad sanguinem remotasque partes, forte affectas, perveniunt, sed immediate & unice tantum primarioque in intestinis, & præcipue in tunica villosa & per eam suam exerunt operationem. Nam rem recte æstimantibus constat, poros & tubulos Tunicæ villosæ atque vasorum lacteorum in naturali sua constitutione subtilem saltem succum chylosum admittere, heterogenea & crassiora ut pulveres, & potus etiam generæ, crassiora vina, cerevisias, potulenta amaricantia crassiora Caffee &c. & adstringentia terrea & terreo-salina & sulphurea, quæ solvendo non sunt, bilemque crassiorem excludere, cum fecibus foras excernenda, quorum quædam ideo etiam eas fusco colore, ut chalybeata, saturnina & quædam ex auro, imbuunt. Sic cinabaris tota cum sulphureis suis partibus, ut per experimenta facta constat, iterum, ut est assumta; & bene rubra, redditur, ut jam de aliis taceamus. Nec medicamenta etiam subtilissima & soluta salina & sulphurea volatilia, ut & aquosa Thermæ, acidulæ decocta & infusa calida ex lignis, rad. herb. &c. pro diætâ adhibita ad sanguinem integra veniunt, sed in ventriculo & intestinis maxima ex parte alterata, saturata, enervata, adeo, ut eo delata ibiq; commixta parum admodum activa sint, nec ad desideratum effectum edendum, aut aliis partibus implicita & mixta hærent ac remanent, aut per alvum exeunt. Siquidem thermales v. gr. aquæ Carolinæ in quibusdam subjectis & quidem in pluribus eorum si tepi-

dæ, in omnibus fere si refrigeratæ ebibitæ fuerint, saltem per alvum operationem suam instituunt, & tota earum quantitas per alvum iterum educitur, nihilominus tamen suum officium in sanando egregie præstant.

§. XIX. Operationem vero hæc medicamenta suam potius exerunt, atque adeo curationem potissimum perficiunt, (si ita in genere loqui liceat, cum, si exacte res consideretur, quorundam usus passivus magis quam activus sit:) dum hanc ipsam Tunicam immediate afficiunt, quando ad eam appellant, ipsis villis adhærent moramque ibi nectunt, ac eam ejusque poros ad statum naturalem reducunt eosque abstergunt ac liberant, apertos servant, obstructions tollunt, ac avertunt, mucum viscidum incidunt & resolvunt, aut acerbum, austerum, acidum, adstringens acre causticum, rodens & vellicans salinum aut salino-sulphureum, sive in primis viis genitum sive ex massa humorum apportatum, & biliosum, plus minusve volatile & summe mobile imbibunt, præcipitant, temperant, invertunt, diluunt, eluunt, figunt & cohibent, edulcorant, aut bilem inertem acuunt, spiritus animales ut uberius influant, invitant, aut vi sua tonica leniter adstringendo, tonum firmannt & restitunt, præter naturam patulos & laxatos reducunt, fibras motrices ad contractiones animant ac sollicitant, stimulant, motum ulterius continuandum juvant, ipsos glandulosos apices, ut liquorem reddant, molliter afficiunt, atq; ipsas præternaturales fibrarum membranosarum & nervearum vellitationes, & erosiones, crispationes, spasmos & convulsiones inductas demulcent, corrigunt, ulteriorem progressionem & affectiones inhibent, ut & ipsum affluentem chylum cum lymphâ depurant, attenuant, acidum deturbant, eique consi-

sten-

stentiam legitimam conciliant, vi medicata inficiunt con-
 diuntque, & illius distributionem, excernendorum
 vero ejectionem juvant, & viam simul in sequenti-
 bus medicamentis expeditam parant, quibus effectibus
 fonte ac scaturigine malorum obstructa, & rivuli exinde e-
 manantes sua sponte exsiccantur. Dictis faciunt fidem phæ-
 nomena, quæ in Praxi medica toto die occurrunt. Hinc si
 hypochondriacis, viscerum, lienis, hepatis obstructionibus &
 atonia laborantibus terreo-salina aut terrea saltem absorbentia
 lap. 69. C. C. raspatum aut ustum &c. præscribuntur, al-
 vum laxatam sentiunt, non aliter ac si laxantia assumfissent,
 & exinde se habent quam optime. Majorem adhuc ejus-
 modi operationem atque effectum a limatura martis habe-
 bis, partim quia tonum restituit, fibras ad motum eden-
 dum invitatur, acidum destruit, viscidum incidit, quæ
 eas obsessas tenuere, partim quia ab acido soluta terti-
 um velut quoddam vitriolicum dulce, egregia abstergente
 aperienteque virtute præditum, hypochondriacis imprimis
 utile, concedit. Atque vix, duabus elapsis ab assumptione
 eorum horis, pulsus acceleratur, facies floridior & coloratio-
 rit &c. quam accelerationem in specie a limatura hac, ad
 massam sanguineam atque ad cor delata, procedere absit,
 ut quis existimet, cum longe verosimillimum sit, ex primis
 viis hunc effectum & leniter stimulis fibris, nerveis præ-
 fertim, auctoque exinde in reliquis omnibus vasis auctoque
 successivo sanguinis motu procedere. Hinc &, qui spasms
 obnoxii sunt tenerrimæ constitutionis homines, fœminæ de-
 licatæ & maxime hysteriæ martialia ejusmodi ægre ferunt, &
 protinus in illis spasmi aut augentur aut concitantur, evidenti
 sane argumento, in ventriculo & intestinis, canali illo ner-

vofo & membranaceo, qui, ob varia affluentia, quæ recipit, spasmorum admodum fertilis est, per hunc stimulum eos exinde oriri. Ea rursus fixa ut ungula alcis, medulla faxorum, bolus armena, terra sigillata, unicornu fossile, lap. cancr. &c. ad drachm. semis assumta, sudorem provocant sat citum & largum, non certe ad massam sanguineam delata, id præstant, sed, ut potius reor, dum agunt in partes obvias, & chylum cum lymphâ tenuiorem subtilioremq; reddunt, qui ad sanguinem delatus, in eumque mutatus facilius transpirat &c. Eadem turgescentem, ebullientem ferocientemque universam humorum massam sæpissime in primis viis præcipitando, materiam vellicantem corrigendo, placando sistendoque motus irregulares in membranis nervosis sedant ac corrigunt, adeo ut dubium sit, an etiam eo delata talem effectum producere valuissent. Lap. Cancr in pleuritide specificum non secus ac. antimon. diaph. martiale in variolis esse dicuntur, qui tamen pleuram non attingunt, notante SACHSIO *Gamma-rol. pag. 662. & 719.* Contra eandem atque anginam mandib. luc. pisc. & dentes apri, unicornu marinum in erysipelatibus illorumque æstu apud Practicos decantata remedia sunt; lapidem spongiæ colli strumas destruere, medullam faxorum stranguriæ, os sepia gonorrhœæ mederi, expertis constat: ungula raniferi raspata pro in fallibili remedio contra animi deliquia venditatur. Vid. TALANDERS *curieuse Reisen P. II. p. 14.* crystallum montanam præparatam & lac lunæ in mammis lac augere, & ostiocolam in fractis ossibus accalescentiam promovere, lap. cancr. in vulneribus pedum ruborem, ardorem & inflammationem sistere videmus, quæ vel ab unico cochleari vini acidi mire exasperantur. Quis vero facile crederet aut probaret, has materias in mammis ac pedibus fractis læsisque &c. ipso materiali sui contactu id efficere. Febris hæctica, lenta, in quibus Tunica Ventriculi & Intestinorum Villosa glutine quodam crasso atque corrupto, acido, acri, nidoroso obsessa est at-
que

que

que obstructa, non raro in principio unico vomitorio aut paucis laxantibus saltem ex abstergentibus, salinis, terreo-salinis arcan. duplic. tartar. vitriol. sal. tartari sale ammoniac. nitr. mercur. dulc. & similibus, quæ materiam hanc resolvunt, abstergunt atque auferunt, insequentibus subadstringentibus & roborantibus, atque sic ulteriorem materiæ peccantis per crustam villosam accessionem impedi-entibus, feliciter curatur; si in massa humorum jam inordinatus & concitatus nimis est motus, præcipitantibus, terreis & terreo-salinis, nitratis, antih. Poterii, nitro depurato, lap. cancr. &c. tandem etiam cedit. Febres intermittentes famoso illo febrifugo, cortice peruviano, uno quasi ictu, aut etiam quandoque rad. gentiana, costo arabico, cortice ligni guajaci tamarisci &c. concidunt. Reliquæ etiam varii ordinis febres, quæ generi humano frequentissimæ sunt, ne dum omne a quibusdam eodem, ut &, ab Anglis præsertim, epilepsia, hypochondriaca & hysterica pathemata, & a Gallis mensium suppressiones & pallidi foeminarum colores, eodem cortice aut frequentius per pulveres aut potiunculas ex præcipitantibus vulgo curantur, atque simul symptomata comitantia, præcordiorum anxietates, inquietudines, irritationes, jectigationes, agrypnias, cutis constrictam & aridam sopiunt atque emendant & transpirationem atq; sudorem restituunt. Chalybs, lapis hæmatites pulverifatus atque assumtus hæmorrhagias narium, hæmoptysin, mensium fluxum nimium inhibet, tinnitum aurium, tussim sic dictam periodicam stomachalem atque ferinam soli pulveres terrei salini præcipitantes vesperi sumti penitus tollunt. Poterius celebratissimo auro suo diaphoretico fixo aut magnesia saturnina, aut luna terrestri firma atque compacta, contumacissimas & inveteratas paralyses, melancholiam, vertiginem, palpitationem cordis, icterum contumacissimum, impetiginem, causum, hydropes, pedum tumores, podagram & malum ischiadicum eradicavit funditus.

Vid.

Vid. Excellentissimi D. F. HOFFMANNI *Not. ad Poter.* p. 11. 21. 35. 39. 79. 80. 87. 96. Convulsivi infantum motus familiarissimi ab acidis & biliosis corrosivis succis primarum viarum pulvere marchionis & cinabari, aut specifico cephalico D. Michaelis felicissime illico auferuntur ut epilepsia a limatura auri & visco corylino atque quercino sedatur, qui quomodo per poros Villosæ tunicæ obliquos circumvolutaque vasa lactea ad caput &c. feratur, haud mente satis concipere possum. Qui cruditates in primis viis alunt, vel buccella panis mane sumta, vertiginem, capitis dolorem, oculorum obfuscationem avertunt. Sed ubi finis foret, ulterius si pergere vellemus, cum etiam hæc adiecisse sit satis. Hoc ipso pariter nodus is solvitur, qui adeo multorum hominum ingenium torfit, quomodo ejusmodi corrigentia in massa sanguinea sanationem perficere possent, cum eorum transitus ad eam usque dubius esset, & minori temporis spatio sæpius efficerent, quam quidem ad eam pervenire possent. Ex præfatis colligitur, quam bene suo officio & ægrotantium saluti prospiciant Medici, si universalia sic dicta & ejusmodi alia præmittant atq; adhibeant, quæ Tunicam Villosam liberant, abstergunt, mucum tenacem incidunt, acidum & austerum temperant, corrigunt & evehunt, tonumque firmant &c. Quod optime fit præsertim per salia deterfiva, temperantia, præcipitantia, invertentia, laxantia, roborantia. Quare laudis fructus pro eo ac par est Martiano, Ballonio ac Riverio imprimis tribuendus est, qui diligentissime monent atque hortantur, ut Medici primarum viarum provide in omni morborum curatione hoc modo habeant rationem.

§. XX.

§. XX. Ut per tunicam villosam ejusque poros vitia ad massam sanguineam & reliquas partes transmittuntur; ita & hæc ab iis recipit ea, ut primæ ipsæ viæ varie afficiantur, quippe mutua harum partium conspiratio est. Atque sic Natura per hanc, morborum præservationem & solutionem non raro molitur, quando v. gr. diarrhœas spontaneas bono & salutari successu ex inde scaturire cernimus. Hoc maxime per glandulas fit, quas habet intertextas & forte per ipsos villorum apiculos, quos glandulosos Clarissimus BRUNNERUS esse dixit, & antecedentia referunt. Nimirum subinde accidit, ut ex sanguinis oceano excrementitias partes salinas, sulphureas, acres &c. ad intestina deponantur, & ibi ex acriori vitio diarrhœa, dysenteria, cholera, ex acerrimo, inflammationes ac corruptiones & sphacelationes producantur. Ejusmodi frequentissime in plethoricis, cacochymicis, scorbuticis evenit, si forte auræ frigidiori se exponant, ex quo, transpiratione impedita, serum excrementitium simul atque laudabile, uti ad alias partes, asperam arteriam, glandulas colli &c. ita & in tunicas ipsarum primarum viarum secedit, siquidem & in hanc rem notabile est, sub catarrhorum accessionem, exacerbationemque tensam, duramque fieri alvum. Dictum modo a nobis RIVERIUS comprobatur *cent. 1. obs. 66.* dum ait: *Quoties alvus restitabat, catarrhus affligebat graviter, & fluxu alvi redeunte, catarrhus cessavit.* Imo in medica Praxi exempla empyematum thoracis per intestina & alvum expurgatorum occurrunt, qualia & GALENUS (*vid. de Loc. affect. Lib. VI. cap. 4.*) vidit. Massa enim sanguinea turgescens, sero sive sensim sive confestim accumulato, aut per febri- lem motum ac fervorem liquato, stimuloque accedente,

F

sive

five ab humoribus facto, five in intestinis contracto, onus hoc Natura, per arterias cœliacas maxime allatum, deponit. Sicque ab impedita forte præternaturaliter secessione, per poros cutis aliasque vias tenuissimæ indolis salino sulphuræ, excrementitiæ sordes, aut serum etiam nimis lentum, crassum & viscidum exinde & ejusmodi particulis commixtum, quod per alia spiracula non facile excerni potest, per hanc viam publicam secernuntur. Sanguis etiam, dum per venas mesaraicas, venam portæ, hepatis viscus difficilius lentiusque movetur, quod in vitæ sedentariæ deditis, hypochondriacis, cachecticis, senibus maxime accidit, mora atque stagnatione impurus evadit, & feculentias per glandulas in intestinorum canalem transmittit. Rursus autem ex retrocedentibus cutis exanthematibus, variolis, morbillis, purpura, scabie, impetigine &c. ut reliquæ intestinorum tunicæ, ita præcipue Villosa ordinario male afficiuntur, exitiumque patiuntur, siquidem, ut Observationes testantur, hæ erosæ, inflammatæ, exulceratæ, sphacelatæ sunt inventæ, quod B. D. Ortlobius & Welschius confirmarunt, qui varios ex purpura, morbo Lipsiensibus familiarissimo, retrocessa demortuos secaverunt, atque semper tunicas intestinorum, præcipue Villosam, inflammatas corruptasque invenerunt. Eadem labes ibique deprehensa est ab aliis Clarissimis Medicis in iis, in quibus purpura non sufficienter ad habitum esteducta. Ex his modo hic superiusque allatis intelligi potest, intestina publicam solennemque diversarum ac copiosarum materiarum, quarum aliæ laudabiles ac necessaria, aliæ vero aliis sunt pejores, esse cisternam, esse regiam promovendarum viam nutritionis, sustentationis, correctionis, curationis, per naturam æque ac per artem æmulam, instituta,

ta,

ta, esse sanitatis ac vitæ pariter ac morborum, causarumque morbificarum mortisque officinam.

§. XXI. Quodsi itaque res se ita habet, tam utilia tamque necessaria munia & perficit tunica Intestinorum villosa, & tantum sanitati & vitæ interest, eam rite constitutam esse, tantaque mala secus exinde proficiscuntur: indicata in superioribus paragraphis maxime vitia, quibus vitiatur, sedulo sunt præcavenda atque evitanda; præsertim cum vitium primæ digestionis vix satis in alia corrigatur, adeo, ut & idem malum sæpe ad suum recurrat principium, nam & hæc ipsa vitiosorum humorum circulatio & multiplicatio est, quæ difficilem maxime eorum reddit curam. Hoc sine inprimis potimur, cum talis sit chylus, qualia sunt assumta, si quis sibi caveat sedulo præsertim a cibis viscosis pingvibus, glutinosis v. gr. piscibus, in piscinis nutritis, tincis &c. durioribus, tenacibus, compactis, verbo difficilis digestionis & flatulentis, distendentibus. Qualia sunt: panis durus, mucidus, non bene fermentatus & coctus, panis & placentæ calidæ & pingues, lac & lactinia nimia & ventriculo acidis cruditatibus repleto ingesta, inter quæ lac ovillum inprimis ob crassitiem accusatur. Accusatur hinc & lardum, inprimis vetus, caro vervecina tepida assumta, superingestoque præsertim frigidæ aquæ aut cerevisiæ h. ustu. Abstinentum pariter est ab acidis excessivis, nimis constringentibus, acris, acutis, scindentibus, lædentibus rigidis, austeris, acerbis, fructibus horæis immaturis, prunis, uvis, malis cydoniis, pyris, mespilis, fructibus acaciæ & myrtillorum &c. Ex potulentis exulent vinum, præter modum acidum atque austerum, cerevisia acida & corrupta, non bene lupulata & defœcata, & aqua, quæ dura, aspera, fœ-

culenta dicitur, a qua intestinorum eorumque pororum & viscerum obstructions, lienis imprimis, & scrophulæ in glandulis colli procreantur. Absint etiam potus nimis frigidi inprimis, calenti ab exercitiis corporis aut ira commoto superfusi, quæ stuporem & lentorem ventriculo & intestinis maxime inducunt. Hinc verissime CELSUS scribit *Lib. I. p. 28. Illud nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio sit perniciosissima, atque etiam cum sudor se remisit, itinere fatigatis inutilis est.* De iis, qui frigido potu perierunt, legas apud MARCELL. DONAT. *hist. mirab. Lib. IV. c. VI.* Quod vitium in viro quodam vidi, qui cerevisiam frigidam, ab exercitiis corporis adhuc æstuans, affatim hausit, ex quo in hecticam cum vomitibus matutinis incidit, ejus Tunica Villosa ventriculi & duodeni intestini crassa puita copiosissima obsessa, atque penitus obstructa post mortem est inventa. Ejusmodi exempla in Praxi frequentissima obveniunt: ex frigido potu, liberalius in corpus calidum admissio, hecticam, atrophiam, singultum, phthisin, inflammationes ventriculi & intestinorum, cachexiam, gravissimos diuturnos affectus cum spasmodicis & flatulentis intestinorum passionibus pronasci. Deleterium ejusmodi effectum spiritus vini largior & continuata potatio post se relinquit, horum enim corporum, qui hunc in quotidianis deliciis habuerunt, sectiones demonstrant, ventriculum, intestina omniaque viscera rugosa contracta, indurata, arida esse, atque bile concreta obsessa. Exulenti immodicus somnus, ac socordia, quibus totum torpescit corpus, humores incrassantur omnes & obstructions ingenerantur, vita etiam, qua contabescimus, sedentaria & intermissio commotionis agitationisque corporis, fre-

frequentiores lucubrationes, meditationes profundæ, quas amant literarum indefessi cultores: Per hæc enim sæpe relictum a cibis & cruditatibus vel ex glandulis intestinorum collectum lentorem in pituitam vitream quasi tenacissimam coagulari, intestinorumque latera obduci, incrustari, chylove aditum præcludi, observationes ferunt, qualis e. g. de Justo Lipsio habetur in vita JOH. HEURNII, qui postquam ex motus corporis defectu valetudinarius pharmacum adhibuit, pituitosam quasi fasciam ejecit. Similis casus quoque a FERNELIO recensetur de Legato quodam Cæsareo, cui, per sexennium valetudinario, ex injecto acriore clystere firmus, durusque pituitosus pannus, pedis humani longitudinem æquans, est detractus. Quia & multum a purgantibus violentioribus, drastice resin. Jalap. scammon. helleb. alb. & hujus farinae aliis, ut & aliis corrodentibus patiuntur fibræ tunicarum carnosæ, nervæ, glandulosæ ac ipsi intestinales villi, (quoniam illa crebris spasmodicis & repetitis succussionibus nimis & convulsionibus graviter invadunt, & irreparabile damnum, atoniam pertinacissimam alvi obstructionem, tubercula, excrescentias, erosiones, indurationes, inflammationes, exulcerationes, corruptiones, gangranam, sphacelum cum ipsa morte, quæ tragoediæ tandem finem imponit) inferunt: cautus cuivis & circumspectus esse debet eorum usus. Male itaque sibi consulunt, qui consilia a Pharmacopœis, medicastro, circumforaneis petunt, quibus nihil antiquius est, quam primum statim purgantia, vehementer nimis operantia, devoranda præbere, quem infelicem eventum, ac si optime purgati essent, ut felicissimum deprecant atque collaudant. Ex reliquis rebus indifferentibus nocet aer caliginosus & nebulosus, ni-

mius, solis & aeris æstus, vehementiora corporis exercitia, inprimis calidissimo aere instituta, & accedente potu calido spirituofo affatim hausto &c. fornaces & balnea æstuantia nimis, quæ cruditates pituitosas, nidorosas &c. commovent, exagitant, exaltant, & ad vasa lactea vi quadam propellunt. Rursus coagulantur contenta, si corpus ex calido aere in frigidum corpus derepente transferatur. Ex animi affectibus maxime hic sunt accusandi ira atque terrores, qui spasimis perniciosissimis ventriculi & intestinorum tunicas corripunt, atque invidia, odium, sollicitudo, meticulositas, moeror atque tristitia diuturna: Nihil enim magis austerum auget atque intendit, pituitam incrassat. vid. SYLVIUS *method. med. Lib. II. p. 132. & 314.* inquinamenta a peripheria ad centrum revocat & poros intestinales obstruit & coarctat, quam hi, ut observationes loquuntur.

§. XXII. Ea autem potius sunt in frequentem usum ducenda, quæ obstructions præcavent & auferunt, & poros Tunicæ villosæ liberos servant, abstergunt, crassum terrestre attenuant, & mucum, quo obfessa est, viscidum incidunt, constringens, acidum, austerum & acre causticum, biliosum vellicans, rodens, convulsiones inducens corrigunt, diluunt, destruunt, invertunt, temperant, educunt, tonum & robur servant atque restituunt & alvinas excretiones debite adjuvant. Quibus scopis egregie inserviunt in genere magis infusa & decocta calida ex herbis præsertim traumaticis, rad. cort. lignis, seminibus & floribus, ut card. bened. veron. angelica, imperatoria, nasturt. hortens. & aquat. salv. meliss. roris marin. absinth. cent. min. menth. agrimon. cuscut. chamædr. chærefol. fumar. lign.

lign. fassafras, lantal. juniper. quajac. buxi, cort.
aurant. tamarisc. citri, rad. chin. sassaparill. polypod.
bardan. caryophyllata, helen. galang. cichor. tamarisc.
bacc. junip. sem. foenic. anifi, rasur. C.C. &c. in aqua & vino
macerata & decocta, juscula calida, Thé, Caffée & thermæ
præ aliis & acidulæ. In specie magis acidum destruunt ab-
sorbentia, præcipitantia, terrea & terreo-salina, alcalia,
fixa & volatilia, mand. luc. pisc. ebur, dens hyppopotami,
dens apri, corall. creta, sanguis draconis, mat. perl. con-
ch. os sepia, lap. cancr. C. C. unicorn. verum, test.
ovor. terra figill: Sil. armena bolus, oleum tart. per deli-
quium, sal Tart: Liqueur C. C. & salis amoniac. ut & mar-
tialia in primis limatura. Ad austeri & acerbi correctionem
terrea, oleosa, salia volatilia, alcalia, ut & spirit. nitr.
dulcem SYLVIUS commendat. *Prax. med. Lib. III. p. 501.*
& ejus signa, tam in intestinis quam alibi v. g. pulmonibus
hærentis suppeditat *Lib. I. c. XX. p. 209.* Acre causticum
magis enervant pingua & oleosa, oleum amygd.
dulc. butyrum recens, emuls. sem. 4. frigid. maj. & min.
frigida, Opiata &c. mucilaginosæ, ex herb. & rad. malv. alth.
sem. cydon. paratæ mucilagines, gelatina C. C. tragacanth.
lac & lacticinia. Acrimoniam vero biliosam magis in-
fringunt crystall. montana calcinata, acida, nitrata vitrioli-
ca. Viscidum resolvunt, incidunt & attenuant, liquefa-
ciunt, aquea, ut infusa & decocta modo nominata, aroma-
tica, salia alcalia, & secundum Sylvium acida, acria, spirit.
salis, nitri, vitrioli, sulphuris per camp. acetum destillatum,
succus citri, neutra fixa & volatilia, ut sal ammoniacum, sal
tartar. essentif. arc. dupl. sal culinare, oxymel squillit: & si-
milia. Tonum laxatum firmant & restituunt subadstrin-
gentia

gentia ut cortex chacarill. china, fraxini, sanguis Drac:
 & similia, balsamica aromatica gummata, mastiche, succi-
 num &c. flores hyperici ejusque essentia, terrea & ter-
 reo-salina. Quæ & fibras ad motum edendum ar-
 mant & sollicitant. His indicationibus & satis faciunt
 amara, aromatica, stomachica dicta, antiscorbutica ut
 essentia rad. gentian. absinth. card. bened. chamædr.
 cent. min. scord. fumar. trifol. fibrin. cort. aurant. cin-
 namomifata rad. ari calam. aromat. galang. cardamom. &c.
 Refinosa & gummosa G. ammoniac. in acet. solut. essent.
 G. ammoniac. mel & mellita, atque composita magis,
 ut salia volatilia oleosa, sal volatile oleosum Sylvii, Bal-
 sam. vitæ Excellentissimi D. Hoffmanni Hallensis, spiritus
 & elixiria balsamica, Elix. stomachic. D. Michaelis.
 Elix. P. P. Elix. rhabarb. Laxantia lenia ex phlegmagogis
 & cholagogis præsertim ex rhabarb. aloërite præparata,
 & secundum mentem Becheri cum balsam. maritata. E-
 jusmodi etiam sunt pilulæ Hoffmannianæ, Stahlianæ,
 Hermannianæ, mercur. dulc. & similibus parata. Tartarea,
 tartar: tartarifat. vitriolatus, tinct. tart. crem. & crystall. tart.
 Spasmos tandem ipsos & convulsiones auferunt antispasmo-
 dica, anodyna, antepileptica, ut castoreata, succinata, cin-
 nabarina, camphorata, crocata, pulv. marchion. specif. cephal.
 D. Michaelis, pulv. lumbric. terrestrium, ungu. alcis, dent.
 hippopotami, unicornu verum, tinct. benzoës, spiritus
 sanguinis humani, pulv. secund. human. Extract. visci quer-
 cini & similia. Nec externa hic plane de nihilo sunt Olea
 & empl. ex oleis laurin. ol. cumin. mastich. castor. menth.
 philosoph. nux moschata, nard. ol. carminat. Minsichti,
 empl. de baccis lauri, carminativ, Sylvii & similia; vel fo-
 tus

tus

tus ex mentha, thymo, majoran, organ, serpill. puleg. absinth calendula cum mastiche, nuce moschata, mac. caryophyll. Vinum, aqua vitæ, balsama, balsam. anglic. peruvianus, liquidus & similia ejusmodi interdum possunt exhiberi, præsertim quoniam subinde ex chyli confectione recrementa maxime viscida remanent, & acidum succrescit: atque si suspicio hujus vel illius vitii adsit, convenientia indicata potius eligantur.

§. XXIII. Coeterum conveniat decens his omnibus semper victus vivendique ratio omnis, quam humanitas simul & continentia svadet, & quæ totam hominis naturam conservat, & labefactatam adjuvat. Ea autem præsertim ita sit composita, ut ventriculo & intestinis bene conferat, & non faciat molestiam & negotium; indicata emolumenta impertiat, mala vero avertat: Nimirum cruditates pituitosæ, acidæ, austæræ, acres obstructions &c. præcaveantur & tollantur, spiritus animales conserventur &c. Aer igitur, quoniam inspiratus & cum cibus ac chylo mixtus maxime ad ventriculum intestinaque descendit, conducit temperatus, serenus, elasticus, purus, siccus, tenuis, & calidus magis quam frigidus, & suffumigiis ex succino, thure, myrrha, baccis junip. spica, majoran, lign. aloës correctus. A luxuria & immodica assumendi libidine, blando illo malo, & quod accusare facilius est quam vitare, sibi temperandum, ne cruditates colligantur, & eadem ac exuberans chylus tunnicarum ventriculi & intestinorum inprimis Villosæ labem ingerant, tonum mole sua destruant, debilitent, ac fibras ad actiones instituendas inertes reddant, obstructions in poris vasisque pariant &c. Qua de re verissimum Italorum proverbium est, quo dicunt: *Qui multum vult comedere*

G

parum

parum comedat, & elegans satis Fernelii dictum, non, quod sapit, nutrit hominem, sed gulam. Multi enim cibi multique potus multos morbos procreare solent, qui evitantur, si modice cibi & pro necessitate, atque Socratica mediocritate observata, assumantur, eique, qui boni succi mediamque atque convenientem formam inter solidum & humidum obtinentes, diluentes, incidentes, attenuantes, roborantes, temperantes, modice calefacientes, assati & duriusculi magis quam elixi & emolliti nimis, pultes ex frugibus oryza panico, milio, pisis, avena, frumento saracenicis, obsonia ex brassica rubra, rapis, fisis, &c. juscula hordeaca, & avenacea & similia aromatibus, cinnamomo, salvia, majorana, thymo, chærefolio, satureja, croco, nuce moschata, mac. pipere, galanga, zingibere, fœniculo, aniso, carvo, caryophyllis vel succo citri, & aurantium, adjecto rapistro, nasturtio, cochlearia saleque bene conditi, vel etiam herbis radicibusque aperientibus & roborantibus medicati ut rad. cichor. petroselin. cum herb. & chærefol. acetos. nasturt. capparibus, cortic. aurant. citri, baccis lauri, juniperi cocti, nec ideo sale muriaque maceratos cibos rejicere possumus. Panis bene coctus & secalinus potius eligendus, imprimis confert ille, in quo subtilissimi furfures adhuc sunt relictis, qui villos & poros egregie abstergunt, quod etiam alii cibi faciunt, ut pisciculi, in aquis gregatim natantes, & cancri minuti cum chelis, crustis, cauda, pellibusque integri cum spinis, poma dulcia, borsdorffiana, pyra alique maturi arborum fructus sive cocti sive crudi cum putaminibus & pelliculis, umbilicis pomorum, tunicis nucleorum pisarum siliquis, uvæ maturæ, ribesia, berber. baccæ cynosbati cum acinis, fungi & boleti edules & ejusmodi
man-

manducata, edulia, quæ per digestionem non subiguntur, sed integra iterum aut parum mutata exeunt, simulque acidum corrigunt & pituitam adhaerentem, educunt, & de quibus vulgo dicitur: *Es raumet den Magen.* Hinc non adeo ineptiunt illi rusticorum atque plebejorum, qui cerasa cum nucleis deglutire solent, atque quidam, quos ipse cognovi, qui caneros fluviatiles etiam mediocres coctos integros devorant. Succedere possunt lactuca, endivia &c. Conferunt & mel atque mellita præsertim melligo in cellulis cratibusque tenuibus adhuc contenta, raphanus major & minor & condimenta ciborum salita aromatizata, saccharata, quæ interdum lenem efficiunt fermentationem, pituitam potenter incidunt atque abstergunt. Potus genera eligenda sunt tenuia, quæ cito transeunt, variis etiam alterata, ut vin. absinth. cydon. helen. aromaticum Hippocraticum dictum, cerevisia hordeacea potius quam triticea & bene defœcata, rite lupulata, rore marino & similibus, fermentata & medicata, cuique panis subinde tostus nuce moschata & cinnamomo conspersus, atque conditus est inditus, quod genus potus ad villos ventriculi & intestinorum luxatos roborandos in primis commendatur. Inter ea & hydromel proficuum habetur &c. Nec non fumus tabaci suctione exceptus dissvadendus est. Verbo, omnia bene conferunt, quæ tunicas Ventriculi & intestinorum mollioriter abstergunt, incidunt, aperiunt & roborant. Debitæ corporis motiones præsertim ambulatio, equitatio, curruvectio, tornatio, & quæ cibum antecedunt, utique suadendæ, illæ enim, quæ paulo fortiores a prandio instituuntur, poris Tunicæ villosæ molestiam creant, & crudum chylum in partes rapiunt, unde **CELSUS** bene monuit *Lib. I. cap. II.*
di-

dicens: *Siquis interdum sese implevit, post cibum neque frigori neque aestui sese neque labori debet committere.* Alvus rite respondeat semper foetida, ne subtiles atque succosae excrementorum partes, si diutius hæreant in intestinis, per poros Tunicae Villosae pertranseant hinc ea alvo clausa retenta per paucos saltem dies arescunt & indurescunt, indicio, ipsas partes liquidas foetentes a calore naturali resolutas secessum fecisse: Si uquam enim certe hic locum habet, quod AVENZOAR Arabum Experientissimus *proæm. in Lib. 1. Theor.* scriptum reliquit: *In habendo ventrem mollem nutu DEI conseruatur sanitas.* Reliqua excernenda per vesicam, menses, hæmorrhoides, ne horum retentio multis noxis ansam præbeat, expedita præstentur, secundum enim illam regulam, bene, qui ingerit digerit & egerit, sanus est; Nec non retinendorum negligenda est ratio; Animus in tranquillitate, gaudio, amore, lætitia & hilaritate, suauissima amicorumque amico jucundoque consortio erectus ac recreatus semper est seruandus, quæ ut universo corpori, ita & ventriculo & intestinis illorumque functionibus constantem afferunt integritatem.

*DEO Ter Optimo Maximo sit Laus
& perennis Gloria.*



Anat A. 220, 2